



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. De Co[n]scientia erronea, ubi de perplexitare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

reservata Pontifici, poterit ab Ordinario Confessore absolvi, v.g. raptor bonorum naufragantium excommunicatur excommunicatione reservata in Bulla Cœna, & item in iure, sed excommunicatione non reservata. *Excommunicationis de raptoribus*, si hanc scias, & non illam, hanc solum incurres; quæ cum non sit reservata, poteris ab Ordinario Confessore absolvi.

24. Verum hæc Duardi illatio nullo modo placet, quia hæc non sunt duæ excommunicationes, sed una, & eadem, quæ fulminatur prius in Canone, & deinde reservatur in Bulla Cœna. Sic Merolla *ibidem* num. 82. cum ergo reservatio sit restrictio jurisdictionis in Confessario, jurisdictioni autem tota dependat à voluntate Superioris, non est necesse, ut delinquens eam restrictionem scias, satis est, si eandem sibi compertam habeat Confessarius.

25. Colligit quintò Sanchez, libro 4^o in Decalog. cap. 2. num. 19. & Merolla tom. 1. *distinct.* 1. cap. 2. *distinct.* 3. num. 88. si quis voveat, v.g. non fornicari sub pena profitendi in Religione, memor voti, sed immemor pœnæ, fornicetur, non obligari ad dictam pœnam, quia votum obligat ad modum legis, lex autem non obligat ad pœnam exorbitantem, quando ea pœna ignoratur, seu, quod idem est, quando non advertitur. Addunt iidem, coherenter ad suam sententiam dictam num. 18. sequi esse dicendum, quando pœna voto promissa, non esset exorbitans, at in nostra sententia, hæc additio non est necessaria, ut ex dictis num. 19. manifestè colligitur.

Alia similes illationes affert Merolla, quas tamen, & similes poterit ex se quispiam ex principiis allatis, facili negotio cognoscere.

Quid operetur Error, vel Ignorantia in Juramentis, vel in Votis, vide propriis in locis *infra*, cum de Juramento, & de Voto.

CAPUT III.

De Conscientia.

§. I. Quid, & quomplex sit Conscientia.

1. **N**omine conscientia intelligimus dictamen, seu iudicium rationis, quo judicamus aliquid esse hic, & nunc licitum, vel illicitum, seu quod idem est, aliquid esse sine culpa agendum, vel non agendum. Quapropter, quamvis iudicet quis in universum, die festo, v.g. non esse laborandum, si tamen iudicet esse hoc festivo, ad querendum cibum, laborari posse (hæc enim duo iudicia stare simul valent, cum sibi non adversentur) poterit sine peccato laborare, quia licet tunc agat adversus prius iudicium, non tamen agit contra posterius, in quo propriè consistit ratio conscientia, quæ est regula proxima, juxta quam suas actiones homo dirigit, quamque excipere omnino debet.

Prius iudicium aliqui vocant speculativum, seu etiam conscientiam speculativam, posterius practicam. Sed non innotior in vocibus istis, ut libet, nomen impositum.

2. Conscientia autem alia est vera, & certa; alia erronea, seu errans: alia opinativa, seu probabilis: alia dubia, alia scrupulosa. Ita Thom. Sanch. lib. 2. de matr. d. 4. f. num. 2. & lib. 1. in Dec. cap. 9. num. 1. Ioan. Sanchez in selectis, d. 4. num. 4. Si enim iudicium nostrum circa aliquod agibile sit conforme ipsi rei, id est revera res ita se habeat, ut judicamus, dicitur Conscientia vera, quæ si procedat ex aliqua ratione certa saltem moraliter, dicitur conscientia vera & certa.

3. Si verò dictum iudicium non sit conforme rei, sed tamen appareat nobis verum, & certum ex vi aliqujus falsæ rationis, qua decepti certò putamus rem ita esse, dicitur conscientia erronea: ut si quis motus à re-

verentia Ecclesiæ debita, certò sibi persuaderet expuere in illa esse mortale.

4. Quod si dictum iudicium procedat ab aliqua ratione, non quidem certa, sed probabili, id est, ex qua intellectus inclinatur ad assentiendum rem ita esse, sed cum formidine, quod pars opposita vera sit, appellatur conscientia opinativa, seu probabilis.

5. Si autem intellectus sit omnino anceps, nullamque rationem saltem probabilem habeat, per quam inclinet ad aliquam partem, dicitur conscientia dubia, seu vocatur, & est dubium, quod aliqui merito appellant dubium negativum, quia negativè se habet in illa incertitudine intellectus, nec scilicet assentiendo, nec dissentiendo: sicuti, quia non habemus rationes saltem probabiles ad iudicandum arenæ maris paria esse, vel inparia, verè de illis dubitamus. Quod si aliqua ratio appareat, sed non adeo efficax, ut intellectum movere possit ad aliquem prudentem assensum, dicitur etiam conscientia dubia, & rectè ab aliquibus suspicio appellatur; quia tunc, cum non pertingatur ad probabilitatem, adhuc intellectus negativè se habet ad assensum, vel dissensum: sed solum ita esse à longe suspicatur. Sic esset si unus testis non multum probare fidei affirmaret hanc pecuniam à se in via fortè perperam esse Pauli, & aliter infirmæ simis fidei negaret.

Quando autem sunt æquales probabiles rationes pro utraque parte opposita, licet aliqui iudicium ex illis ortum vocent improprie dubium positivum, at verè iudicium probabile utrumque est, de qua re *infra*, §. 3. num. 9.

6. Si denique, dum ex idoneis rationibus certò, vel probabiliter judicamus aliquid esse licitum, vel illicitum: nihilominus sine rationabili fundamento occurrat aliqua hæsitatio in contrarium, vocabitur, & erit conscientia scrupulosa, quæ sic describitur: Apprehensio ex levibus rationibus orta, iudicium certum, vel probabile nequaquam inficiens.

Jam de singulis breviter agamus, excepta prima, quæ est Conscientia certa, & vera, siquidem, si secundum illam, non operemur, non rectè nos operaturos non est ambigendum.

§. II. De Conscientia erronea, ubi de Perplexitate.

1. **Q**ui agit contra conscientiam, qua sibi persuadet, aliquid esse peccatum, licet id peccatum nequaquam sit, peccat ex conscientia erronea, sive mortaliter, sive venialiter, juxta quod iudicat: ita Vasquez, alique *passim* apud Ioan. Sanchez *dict. diff.* ut. 4. num. 1. Ratio est, quia operatur contra proximam regulam humanarum actionum, ut modo diximus §. 1. num. 1. Confirmatur; quia si conscientia tibi proponit hoc esse malum contra legem, & tu illud eligis, convinceris illud amare, plusquam legem: ergo convinceris peccare.

2. Quoniam autem conscientia erronea duplex est: Invincibilis seu inculpabilis alia; alia vincibilis, seu culpabilis, potest quis, verbi gratia, putare hoc die Dominico, non oportere Missam audire, vel ex ignorantia inculpabili, vel ex ignorantia culpabili, juxta superius dicta cap. 2. §. 6. idè sic, erit distinguendum. Si est invincibilis, obligamur juxta illam nos gerere, ut num. precedenti dictum est, donec affulgeat aliqua lux, qua moveamur ad illam conscientiam erroneam deponendam, de qua depositione mox à num. 9. Si verò est vincibilis, ni eam vincamus, peccamus, tum sequendo ejusmodi conscientiam, tum non sequendo.

3. Exemplo id clarius reddo. Si quis invincibiliter sine ulla culpa iudicet se posse, debetque mentiri, ad tuendam proximi vitam; hic sanè, periclitante vita proximi, tenetur ex dictis num. 1. mentiri: scilicet enim ageret ex conscientia erronea contra proximi charitatem: contra charitatem dico, siquidem peccatum ex erronea conscientia sumit suam speciem, ut etiam

lato gravitatem, levitatemque à virtute, contra quam agere peccatum putat. At vero si id vincibiliter, id est, cum culpa sua sibi persuadeat, quia, v. g. affectat non licet id à Confessario sciscitari, aio hanc peccatum, tum licet id à Confessario sciscitari, aio hanc peccatum, tum non mentiendo. Peccabit non mentiendo, tum non mentiendo. Peccabit non mentiendo, quia facit adversus Charitatem, dum certo credit contra veritatem, ad quam sicuti directe pertinet, non mentiri, ita indirecè amovere omnia impedimenta, quae ad mentendum inducunt, quaeque amoveri possunt, qualis certe est Ignorantia culpabilis; nam propter culpabilis est, quia illam potest quis vincere, & sua culpa non vincit.

4. Dices. At Theologi docent non dari in mortalibus perplexitatem, hoc est, non dari casum, in quo quis considerato presenti statu peccet operando, & peccet non operando: sic enim necessariò peccaret, cum necessarium sit, alterum ex duobus contradiatoriis eligere: cum igitur in casu nostro hic peccaret mentiendo, & peccaret non mentiendo, certe ejusmodi perplexitatem pateretur.

Respondeo. Theologi negant aliquem posse esse perplexum sine sua culpa: idque merito, propter rationem dictam: at in casu nostro adest culpa, quare cum obligetur ille, & possit tollere ignorantiam non necessariò peccabit, sed ex sua prava voluntate nolente ab ignorantia recedere. Ita Castr. P. 1. tr. 1. d. 17. 2. num. 3. Sanchez loco mox citando.

5. Quid, si olim potui interrogare virum doctum, nunc non possum? Rursus quid, si olim sciebam illud mentiri esse peccatum, nunc vero, quando instat tempus mentendi, puto sine culpa peccatum non esse? Respondeo in utroque eventu adesse conscientiam inculpabilem, atque adeò à peccato exculantem. Ratio est, quia in priore casu jam non potes, hic, & nunc ignorantiam depellere, ergo jam laboras conscientia peccati inculpabili. Sic Thom. Sanch. lib. 1. in Dec. c. 11. num. 12. Joan. Sanch. dist. 4. 4. n. 26. In posteriore, nec item potes, cum enim tibi licet non occurrat illud esse peccatum, nec ullum dubium de indaganda veritate, jam laboras inculpabili conscientia per oblivionem, seu inadvencionem, à quibus excusari operantem perinde ac ab ignorantia, innui supra cap. 3. §. 6. n. 1.

6. Denique, quid, si quis per inculpabilem ignorantiam putet utramque partem alicujus Contradictionis esse peccatum? Aliquis v. g. aggro gravi assistens putat (si Missam die festo audiat, & sic infirmum deserat) se mortaliter peccare contra charitatem proximi; putat etiam se peccare, si non audiat, contra obedientiam Ecclesiae, audicionem Missae praecipientis. Idem esset in excommunicato non valente absolutionem impetrare, si putet sibi imputari ad peccatum die festivo, non interesse Sacro, quia non obedit Ecclesiae; & similiter, interesse, quia, contra ejusdem Ecclesiae praecceptum, se irretitum excommunicatione immiserat divinis. Simile quid evenire posset in carcere detentis, in nemotum, & gregum custodibus, & similibus. In his ergo casibus intercedit vera perplexitas, ita ut peccent ii, quancunque elegerint partem?

7. Respondeo nec intercedere hic veram perplexitatem, nec ullum ab iis peccatum committi, quamecunque partem eligant; Sic Thom. Sanch. lib. 1. in Dec. c. 11. n. 14. Joan. Sanchez d. 4. 1. n. 27. Manuel Rod. 2. tom. sum. c. 5. n. 6. Ratio est, quia, in his casibus sine culpa occurrentibus, non adest sufficiens libertas ad peccandum, si enim quamlibet ex partibus eligendo, peccarent, jam necessariò peccarent, necessariò enim aliquam eligere compelluntur: cum tamen ad peccandum requiratur ea libertas, qua in operantis arbitrio sit potestas peccandi, & potestas non peccandi.

8. At enim verò ipsi judicant se peccare. Respon-

Pars I.

deo nihil id officit, nam peccatum non consequitur ad judicium intellectus, sed ad actum liberæ voluntatis, quam voluntatem liberè agere in casibus positis non posse, praedicta ratio probat. Alia huc speculative pertinentia lege apud Castro Palaum t. 1. tr. 1. d. 1. p. 5.

De depositione Conscientiae erroneae.

9. Non peccaret quis ex Conscientia erronea, si errorem relinqueret, seu à se illum removeret. Docet ergo Caietan. p. 2. quest. 29. art. 5. posse hujusmodi errorem removeri sine ulla nova superveniente ratione, sed solum per exclusionem Judicii erronei. Errat, v. g. quis putando hodie esse diem festivum; judicet non esse, & sic laboret. Vasquez part. 2. d. 67. cap. 2. num. 5. docet debere adesse rationem, quae vincat illum errorem, non quancunque, sed efficaciorē illa, per quam conceptus est error. Putavit quis, v. g. hunc diem feriat esse diem festivum ex dicto unius testis fide digni, non potest deponere hunc errorem, nisi vel per plures testes eadem fide dignos, vel per testem digniorem certior fiat de contrario. Neutrum actum arduum.

10. Aio enim primò contra Caietanum, necesse esse, ut error deponatur ex vi alicujus rationis saltem probabilis. Ratio est, quia scilicet temerariè prius illud judicium, licet in se erroneum, sed à te non ut sic cognitum relinqueret. Adde, si nulla affulgeat ratio contra ejusmodi prius judicium, non posse intellectum judicare contrarium, quantumcunque à voluntate imperetur; intellectus enim est potentia necessaria, quae objectio cuilibet non assentitur, nisi ex vi alicujus tandem veritatis visae in aliqua ratione saltem probabili.

11. Limitant Merolla, alique quos citat sequitur, quae P. Rardi de conse. disput. 3. cap. 11. numer. 5. hoc non solum dictum, nisi intellectus erret sine ulla ratione, tunc enim, si idem intellectus advertat falsitatem ejusmodi erroris, poterit (inquiunt) nam respicere sine ulla ratione. Vera doctrina, sed limitatio non necessaria: non enim video, quo pacto intellectus, nisi aliqua ei affulgeat probabilis lux contra eam falsitatem possit falsitatem agnoscere: at illa nova suborta lux, ratio nova est, vel rationi novae equipollens, ergo semper stabit nostra assertio, non posse errorem dictum deponi nisi probabili accedente ratione.

12. Aio secundò contra Vasquez, ad depellendum errorem de quo loquimur, satis esse rationem probabilem, nec necessariam esse sive probabiliorem, sive efficaciorē. Ratio est ducenda ex eo principio quod infra §. seq. saepe repetetur, nimirum posse quemlibet moveri ad prudenter operandam ex qualibet ratione practice probabili. Si igitur unus dignus fide asserat hodie non esse diem festivum, alter verò eadem dignus fide neget, cum in tanta aequalitate illi potius, ut contendit Vasquez, fides habenda sit quam huic? Certè, vel neutri, vel probabiliter alterutri, ut maluerit. Et quidem hoc postea me posse facere infra probabimus.

13. Peccatum ex conscientia erronea, an sit ejusdem speciei & eodem modo confitendum perinde ac peccatum ex scientia, diximus in opusc. method. Conf. lib. 2. cap. 1. §. 15. Rursus quodnam peccatum committatur, quando quis agit contra conscientiam dictantem illam actionem esse peccatum in genere, diximus supra, cap. 1. §. 3. à 4. 30.

Denique qua ratione Confessarius se gerere debeat cum poenitente laborante conscientia erronea, diximus item in opusc. Method. Conf. lib. 3. cap. 4.

§. III. De Conscientia opinante, seu de Opinione probabili.

Quid sit & quoruplex.

1. Opinio probabilis est Assensus intellectus de aliqua re, qui nitatur ratione, vel autoritate alicujus momenti, modo pro parte opposita nihil

B 3

appareat